



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hermanni Conringii De Antiquitatibus Academicis Dissertationes

Conring, Hermann

Helmeftadii, 1674

Svpplementvm LXIX. Ad pag. CXLII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12929

Ad pag. cxlii.

IN Authentica legitur; *habitam super hac re diligentem inquisitionem Episcoporum, Abbatum, Ducum, omnium Judicum, & aliorum procerum sacri palatii examinationem.* Quæ verba indicant illa tempestate τῆς νομοθεσίας usitatam rationem: diversam scilicet ab ea quæ monarchiæ competit. Sine causa porro nonnulli solliciti sunt, de non facta hîc mentione Electorum Principum: nondum enim tunc erant illi instituti, sed & serò cœpit illorum præ aliis Principibus singularis quædam in Tabulis Imperii commemoratio. Id potiùs mirere, Comitum nomen hîc non comparere: at vero latent illi sub titulo *Judicum*: quoniam reapse significatione prisca Germanicâ *Gravio* idem est quod *Judex*, ceu aliàs ostendimus, quam *Gravionum* dignitatem primi Franci cœperunt Comitum voce appellare propter aliquam Comitivæ antiquæ dignitatis & *Gravionatus* affinitatem. Majorem attentionem meretur occurrens hoc loco illud *Sacri Palatii*. Demonstravimus scilicet nos *cap. XI Censura Diplomatis Lindaviani*, Romanorum quidem Imperatorum Palatium omne *εὐπλῶς Sacrum* olim cognominatum esse, sed Francorum Regum illud solum quod vacabat Ecclesiasticis negotiis. An verò Fridericus Imperator hîc locutus sit more Romano an Francico, haud sine causâ dubites. Etenim renato tunc Justiniano jure, certum est mutasse, ex instinctu indubie juris illius magistrorum, nonnulla circa Cæsaream & Imperii publicam dignitatem, atque adeo tunc demum cœpisse illam appellationem *Sacri Romani Imperii*. Forte igitur & Palatio Cæsareo *εὐπλῶς* tunc *Sacri* titulus accessit ut & Constitutioni cuius, recepto in Justiniano Codice more. Fortè tamen *proceres Sacri Palatii* tunc audierunt soli illi qui causas sa-

cras sive Ecclesiasticas tractabant: quandoquidem scilicet hæc etiam deliberatio credita fuit ad forum Ecclesiasticum pertinere, ut scholasticum omne. Ego nihil definire ausum: sed malo *ἐπιπέσει*.

SUPPLEMENTVM LXX.

Ad pag. cxliii.

Differtatio adduxit sola isthæc Authenticæ verba, quæ ad jurisdictionem spectant in Scholares. Hoc loco nos integram dabimus, quoniam deinceps etiam alia hujus Authenticæ veniunt illustranda. *Habitâ quidem super hoc diligenti inquisitione Episcoporum, Abbatum, Ducum, omnium Judicium, & aliorum Procerum sacri nostri Palatii examinatione, omnibus, qui causa studiorum peregrinantur, Scholaribus, & maxime divinarum atque Sacrarum Legum Professoribus, hoc nostræ pietatis beneficium indulgemus, ut ad loca, in quibus literarum exercentur studia, tam ipsi, quam eorum nuncii, veniant, & in eis secure habitent. Dignum namque existimamus, ut, cum omnes bona facientes, nostram laudem & protectionem omnimodò mereantur: quorum scientia totus illuminatur mundus, & ad obediendum Deo & nobis ejus ministris, vita subjeclorum informatur; quadam speciali dilectione eos ab omni injuria defendamus. Quis enim eorum non misereatur, qui amore scientiæ exules facti, de divitiibus pauperes semetipsos exinaniant, vitam suam multis periculis exponunt, & à vilissimis sæpe hominibus (quod graviter ferendum est,) corporales injurias sine causa perferunt. Hac igitur generali, & in perpetuum valitura lege decernimus, ut nullus de cætero tam audax inveniat, qui aliquam scholaribus injuriam inferre præsumat: nec ob alterius cujuscunque provinciæ delictum, sive debitum (quod aliquando ex perversa consuetudine factum audivimus) aliquod damnum eis inferat: scituris hujusmodi sacræ constitutionis temeratoribus, & etiam ipsis locorum Recloribus, qui hoc vindicare neglexerint, restitu-*